



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Sapientia

Pinamonti, Giovanni Pietro
Segneri, Paolo

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

VD18 12664146

Consideratione pro Confessione ritè instituenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

CONSIDERATIO
PRO CONFESSIOE
rite instituenda.

PUNCTUM I.

Quid oporteat fieri ante
Confessionem.

I. **C**onsidera , quòd, quemadmo-
dum non sufficit æquo iudici,
captum tenere latronem , sed & opus
est eum tollere è medio, ne noceat im-
posterum ; ità pariter non sufficiat; ac-
curato examine indagasse peccatum,
sed necessarium insuper sit , ut reper-
tum per pœnitentiam & contritionem
rollatur.

Et in hoc dolore consistit essentia-
liter perfectio confessionis , cuius ha-
bendi desiderium non sufficit , nisi re-
ipsa adsit, neque defectus ullo alio sup-
pleri medio potest. Quamdiu non
odisti mala commissa , pax iniri cum
Deo vel obtineri venia neutiquam po-
test

test. Hunc dolorem oportet obtinere à Deo supplici prece, & sæpius repetitâ, per merita sanguinis filii sui, tum etiam lectione ac ponderatione gravitatis peccati, in hoc libello adumbratæ. Fac etiam procures omni studio, ut hic dolor sit perfectus, hoc est, ut neque oriatur ex gehennæ metu; neque ex peccati turpitudine, sed vel maximè ex eo, quòd sit Dei offensa, atque injuria summæ Majestati illata, contrarium etiam infinitæ illi Bonitati, quæ amari meretur ab omnium cordibus mortalium.

Aliam insuper conditionem, necesse est, habeat dolor tuus, sinè qua æquè foret inutilis; debet nimirum esse efficax, seu conjunctus firmo proposito, nunquam ampliùs lethaliter peccandi, nullo tempore, occasione nullâ, qualiscunque demum boni assequendi, vel mali fugiendi causâ. Neque proinde sufficit, votum habere emendationis, sed requiritur voluntas efficax se emendandi; bonorum siquidem desideriorum plenus est infernus,

ut eorum è contra, qui firmiter volunt,
plenum est cœlum. Arque hoc solum
propositum, velut genuinum veræ
confessionis effectum, timet dæmon,
& quemadmodum ipse in id unicè in-
tentus est, ut propositum istud infrin-
gat; ita vicissim omni te studio oportet
allaborare, ut imploratâ Dei ope, quâ
omnia possumus, id ipsum coneris fir-
mare. Ante omnia autem danda est
opera, ut hoc propositum in evitandis
proximis peccandi occasionibus for-
tiatur effectum, ubi nempe ejusmodi
proximum est peccandi periculum, ut
pecces toties, quoties illi te objicis, sic
si domum forte aliquam adis frequen-
tius, vel temporis fallendi, vel negoti-
orum causâ, si personam aliquam in-
tuis habes obsequiis, vel in ipsis etiã
redibus; vel quocunque demum modo
occasionem tibi præbeat peccandi,
statue tecum firmiter, remove peni-
tens ejusmodi occasionem peccandi,
quam suggerit inclinatio, familiaritas,
amor, aut quocunque demum aliò
homine veniat, quod ad peccatum
in

inducit, nisi sit inter illa, quæ caveri omnino nequeunt.

Neque dicas: satis est, si promittam, non amplius me peccaturum; cætera non interest, ut huic amicitia renuncietur; ne ita dicas, obsecro, id enim foret sibi ipsi legem eudere pro lubitu suo, non autem servare legem Dei, qui non minus per calamum S. Spiritus, quam per os Doctorum omnium nobis inculcat debitum, fugiendi non solum peccatum, sed proximum etiam eius incurrendi periculum. Dic potius, si sentis aliter, nec cælum, neque animam curo; renunciare malo Dei amicitia, quam affectioni meæ erga hoc dealbatum sterquilinum, quod paulo post in fœdam dissolveretur putredinis vermiumque saniem. Ità verum tu diceres quidem, experiere tamen paulo post tuomet damno, quam qualèmq; feceris commutationem.

PUNCTUM II.

Quid in ipsa Confessione observandum.

II. **C**ONsidera, modum ac habitum, quo comparere debet peccator

tor coram hoc tribunali, esse suimet
despectionem & demissionem. Hæc
facit, ut syncerè manifestes delicta tua,
quin excuses aut culpam imputes aliis;
neque horrebis eos confessarios, qui
delicta tua reprehendunt, eorumque
tibi repræsentant gravitatem. Ager
qui non nisi imperitos quærit medi-
cos, ut morbis suis medeantur, quo-
modo seriò is optet sanitatem? quid
igitur de te ego cogitem, quem vide-
am elingues tibi consultò quærere
confessarios, ex eorum nempe nume-
ro, de quibus conqueritur Deus apud
Jeremiam vatem, Thren. 2. *Nec aperie-
bant tibi iniquitatem tuam, ut te ad
pœnitentiam provocarent.* Cujusmodi
peccatorum tuorum arbitros si tibi des-
ligas, dicere planè cogar, neque dolo-
rem peccatorum tuorum, neque ani-
mæ tuæ salutem tibi esse cordi.

PUNCTUM III.

Qua oporteat sequi Confessionem.

III. **C**onsidera quid agendum tibi
sit post Confessionem, tum er-
ga Deum, tum proximum; denique
er

erga te ipsum. Deo gratias age, quòd
recipere te dignatus sit in gratiam su-
am, & delere chirographum, mortis
sceleribus tuis exaratum, tum denuo
fidei ac obedientiæ homagium illi
præstabis, velut Domino ac Deo tuo,
supplex etiam implorabis ejus auxili-
um, ut adversus omnes tentationum
insultus tuam roboret imbecillita-
tem. Subinde rationes tuas discute, an
non proximo tuo restitutionem debe-
as, seu bonorum, seu honoris, ac bonæ
famæ, quæ statim utique & absque
mora præstanda est, siquidem, citra
sufficientem causam, etiam ab iis, qui
debito suo aliquando cogitant satis-
facere, dilata, novam culpam efficit.
quod denique concernit remetipsum,
perage illico injunctam pœnitentiam
nequa mora intercedat. Tum & de
mediis cogita, quibus impostetum
peccata evites. Hæc triplicis sunt spe-
ciei, & ejusmodi, ut si ritè adhibeantur,
indubiam in cœpto bono perseveran-
tiam concilient; Sûntque sequentiæ:
frequens oratio, occasionum fuga, &
cre,

crebrior factorum mysteriorum usus
 Denuo itaque propone, omni mane
 ac vespere precari Christum Servato-
 rem, ejusque sanctissimam Matrem, ut
 in cœpto proposito, non amplius pec-
 candi, firmum te servant atque con-
 stantem. Statue insuper, non reverti
 amplius in domum illam, nec illi per-
 sonæ soli amplius commorari, amicit-
 tiæ illius renuntiare penitus. Quod si
 ingruente rursus tentatione aliqua,
 novo te contingeret peccato illigari,
 statue, sine mora illud expiare per pœ-
 nitentiæ Sacramentum, ut per sacrum
 illud lavacrum, & Christi Jesu sanctis-
 simum corpus, novis semper viribus
 adversus dæmonem corroboreris.
 Præter hæc omnia, per Dei te amorem,
 tuamque salutem obtestor, ne sacrâ
 exomologesi abutares, velut peccandi
 illicio, quod multi solent, qui semel
 lapsi, audent dicere: hoc nunc peccâ-
 tum si exomologesi eluam, poterò
 idem repetere sapius, nec est, quod
 meteam. Potestne autem effingi ratio-
 cinatio, huic similis, vel magis injurio-
 sa

sa Deo, vel magis noxia tibi? injuriosa quidem Deo, quia abuteris eodem sanguine, ad peccata accumulanda, quem ipse per pœnitentiæ Sacramentum adhiberi vult ad eadem destruenda; Tibi; tuæque noxia saluti, quia nunquam securus es veræ confessionis; & tamen si confitearis integrè, validèque remanent tamen ut plurimum, etiam post Confessionem, in anima noxiæ plurimi effectus remissorum scelerum, eum ferme in modum, quo febris jam abstersâ, plurimæ tamen manent in convalescente depulsâ morbi reliquiæ. Et si nil aliud, remanet tamen malus habitus hoc est, maximum salutis æternæ impedimentum. Hoc igitur bene perpende, quisquis audes dicere: Perpetrabo hoc peccatum, & dein confitebor. Quò sæpius peccas, eò difficilius salutem assequere, tamen si ritè confitearis. Magis quippe semper obtenebratur intellectus, magis obduratur voluntas, minus meremur divinæ auxiliæ gratiæ: dæmonibus è contra vires accrescunt, dum tibi decrescunt magis

magis que nifus enim ille, quo delicta à te averruncasti minora, deficit, cum in multitudinem magnitudinemque excrescunt enormem. *Super tribus sceleribus Damasci & super quatuor non convertam eum*, inquit Deus per Prophetam Amos c. 1.

ORATIO.

OMi Deus! vitæ ac mortis meæ arbiter, in cujus manu sunt sortes meæ, ac rerum omnium creatarum, ut ingenuè fatear, coram divino conspectu tuo, nullam censeo delictis meis pœnam esse magis accomodatam, quàm cæcitatem. Mererer post tot tantâsque prævaricationes meas, ne cognoscere quidem delicta mea, & velut lethargo sopitus mererer non esse capax ampliùs doloris, ad veram exomologesin, & ad tuam impetrandam gratiam sufficientis. Quid autem? *Si iniquitates nostra responderint nobis, Domine, fac propter nomen tuum.* Jeremiæ 14. Tametsi non merear ego dignè suscipere hoc sacrum mysterium, meretur tamen illud dignè suscipi.

in-

indignus sim ego, qui tibi serviam, dignus tamen es tu, cui omni obsequio serviatur. Atque ideo, Deus mi amantissime! qui miseris quondam meis tam tenerè illacrymatus es, qui vel sanguineo fletu in horto delicta mea abluisti, largire mihi per eundem illum pro me tam largiter effusum sanguinem, dolorem verum, firmumque propositum vitam emendandi, fugiendique occasiones omnes, quæ in peccatum adducunt. Convertete te ad me, & ego convertar rursus ad te; sana me, & sanabor; salva me & salvus ero. Ecce congruum divinæ misericordiæ tuæ objectum, miseriam meam; abyssus hæc malitiæ, invocat abyssum illam bonitatis, cujus fiduciâ sperat, non confusum se iri anima mea, sed, demersis in mari rubro pretiosi sanguinis tui omnibus inimicis suis, sperat, obtentâ victoriâ venturam se, ut fruatur te in terra promissa Paradisi, in perpetuas sæculorum æternitates, Amen.